

*[Handwritten mark]*

Duce Jerosol!  
DISSERTATIO  
PHILOSOPHICA,



De

STATUTURA  
LONGA  
PERSONARUM  
ILLUSTRIUM,

LECTORI GRATIOSO,

decenter, oblata

per

D. Jo. Mauricium Zeiller.

*[Handwritten flourish]*  
31

ALTENBURGI. Literis Joh. Gothofr. Richteri, Anno 1701.

miscell.  
US, 56  
misc. 948

## Duce Jehova!



Uemadmodum satis gloriosè, ita non minùs verè, sapientissimus Seneca, Philosophus, in Operibus suis, magnifica hæc verba, jam pridem, protulit:

*Magnis Animis Natura digna metitur Domicilia.*

Etenim, uti, in magnis Palatiis, non existimantur habitare viles & abjectæ Personæ; ita etiam in proceræ, & justè grandis, Staturæ qualicunque illustri Persona, generosus, meritò, habitare præsumitur Spiritus. Atque tales grandis, hincque venerabilis, Staturæ Homines dominantium Dominus, in parvis & minimis non minùs, quàm, in magnis ac maximis, admirandus, nostræ etiam, non rarò, donavit, & adhuc nonnunquam donat, Septentrioni propinquæ Europæ, ut scilicet ipsa quoque habeat, quos aliarum Mundi partium mirandis opponere valeat Staturis, quod quidem, jam olim, ipsi etiam, in Germanis, agnoscere haud dedignati sunt Romani proindeque Vegetius, Lib. 1. de Re militari, cap. 1. : *Quid, adversus Germanorum proceritatem brevitatem Romana audere potuisset?* jamdudum non dubitavit scribere. Ratione Onomatologiæ vocabulum: *Statura*, à voce: *Stare*, descendere nota, significat Quantitatem, item Mensuram, & Modum Corporis: *Die Statur und Leibes Grösse. Personæ illustres* verò denotant Homines in eminenti dignitate constitutos utriusque Sexus, ut de vocis: *longa*, cuius Eruditorum notissima significatione jam quædam addere supersedeam. Cæterum cum Essentia hujus Accidentis, scil. Staturæ longæ, facilius explorari nequeat, nisi mediante Definitione, quæ dependet à Causis, hinc ab iisdem inchoandum erit. *Causa igitur efficiens remota* Staturæ longæ Personarum illustrium est ipse Creator Deus, qui, sicut magnificentissimi Naturæ miraculi, Mundi, ita & Corporis quorumvis Animalium, & hinc quoque rationalium, Autor existit æternum gloriosissimus. *Causa mediata magis propinqua* sunt, Parentes viribus Corporis ac Animi magis præditi, ardentesque Cohabitationis cupidine. *Causa proxima* Semen virile fecundum, maxime virtuosum, hincque pollens viribus satis extensivis, cum qua concurrere potest Imaginatio Matris generosæ, cogitantis de Statura Heroum, vel in sua, vel aliena illustri Familia, longâ, ideoque veneratione affectâ. *Causa Materialis, s. Subjectiva, ex qua* est Ovulum muliebre, quoad debitam Calidi & Humidi Proportionem, modò ad pariendam, modicè, modò perquam longæ Staturæ Personam, aptum, atque ita singula, ad molis Corporis majoris delineationem & efformationem, tam quoad Quantitatem, quàm Qualitatem, habens

bens Requisita. *Causa Formalis*, in ipsa Extensione Corporis humani, secundum omnes tres Corporum dimensiones, proportionatâ, consistit. *Causa Finalis Principalis, Generalis, & Ultima* est divini Creatoris Omnipotentia, ac Sapientia, quâ monstrare se vult, per talia veneranda Producta, admirandum in magnis & maximis, non minus, ac in parvis & minimis, Agnitio, & Gloria. *Causa Finalis Intermedia, & Proxima*, est gratus Aspectus, Autoritas & Veneratio (unde ipse Deus etiam Saulem, ceu Personam longiorem omnibus reliquis Israëlitis, iis Regem dedit), imò respectivè terrendi Valor. Qualem, in Autoritatis & Venerationis finem quoque, non olim modò Macrobius, & Insulæ Meroës, in Nilo, Incolæ, in suos Principes, quibus parere decreverant, eligebant Personas non, nisi longâ gaudentes Staturâ, & formosas, *fide Alexandri ab Alexandro, d. g. lib. 4.* & Iroques, fera quædam America Natio, Duces suos agnoscunt Personas, non, nisi longissimas & fortissimas, *fide Dn. Malletii, in Descript. sua Orbis cap. 3. p. 554. & cap. 4. sub fin. p. 179.* Hujus Staturæ longæ Effectus sunt partim Formositas, & hinc Desiderium, atque Æstimatiō talium Personarum illustrium, unde quoque, jam olim, ipse Aristoteles nullam fœminini Sexus Personam agnoscere vult pulchram, nisi primariam partem Pulchritudinis, Staturam nempe haberet considerabilem, sicut etiam, ideo, quondam, Spartani, *fide Plutarchi, in Imperatorum Vitis*, Archidamum regem multarunt, quòd, ob divitias duxisset Uxorem pusillam, è qua non Reges sed Regulos, tantum, geniturus foret. Quin & adhuc hodie Japoniæ incolæ, præprimis, multi æstiment Staturæ longæ Personas, è relatione Arnoldi Montani, in sua Japoniæ Descriptione; partim Vis videndi, ex humili licet loco, in longinquum, Potestas pertingendi in altum, longum, ac latum, præ minoribus, atque, cursu, vincendi parvæ Staturæ homines simul currentes alios, &c. Adjuncta tandem Personarum mediocriter longarum sunt, quòd suam sciant æstimare Personam, quòd sint ingenii alacris & maximè penetrantis, generosæ ac magnanimæ, robustæ, agiles, edaces, & aptæ ad generationem Personæ Staturâ sibi similis, ex aptis Contoralibus, atque ita in iis sint singula tam animi, quàm corporis, non vulgaria, excellentia, insolita; Nimis contra longarum Personarum Adjuncta sunt, quòd Philavtiæ indulgeant ordinarièque, sint tardi intellectus, ac simplices, quoad cujus asserti veritatem convincimur non modò exemplò Ragualdi, Suecorum Regis, sed & Johannis, Angliæ, ac Philippi V. Galliæ Regum & aliarum Personarum illustrium exemplis negatu non possibilibus, etenim pauciora & rara magis Exemplarum Personarum illustrium perquam longarum & nihilominus simul prudentiâ insignium, ut Skioldi, regis Suecorum, Eduardi I. regis Angliæ, Comitibus

E. de Bourgtall, &c. Regulam non faciunt. Unde etiam, quondam, Serenissimus aliquis Princeps Germaniæ, è duabus sibi commendatis Personis, inæqualiter, longis, Personam Staturâ longiorem dubitabat admittere, dicendô: *Alta Edificia sæpe, sub tecto, multum habent vacui.* Unter einem hohen Dache ist es oft leer: *fide Zinckgräffii Apophthegmat. Part. III p. 60.* Deinde quòd sint Naturæ, magis frigidiæ, non quidem quasi Deus omnipotens non valuisset Moli corporis humani proportionatum largiri, in creatione & propagatione. Calorem, sed cum ipse, in Creaturis, geometrizare soleat; neque hic Ei, mathematicè displicet agere: Quando igitur Aliquid, juxta Regulam mathematicam, non, nisi sub majori angulo, fortius, agit, hincque, naturaliter, Calor, in vasti Conclavis medio, excitatus, versus singula sua latera, est debilior, quàm circa suum focum, ac proinde ab igne ibi accenso magis calefit, qui Medio Conclavis magis stat propinquus, quàm qui, in hujus Lateribus, non potest non, quò longius Extrema corporis alicujus Animalis distant ab ejus Corde, ceu Caloris foco, eò debilior illuc venire Calor, quatenus Fluidum vitale, quò remotius à Fonte suo, Corde, in suis devolvitur canalibus, eò plus Effluviolorum calidorum, per insensibilem transpirationem, quâ, *juxta experimenta Clar. S. Sanctorii. Medicin. Stat. §. 1. aphor. 6.* unicâ die, plus, quàm integris quindecim diebus, ab eo, per alvum, excernitur, amittit & consequenter, refrigerat, similiter, ac, in Thermis, Aqua quò longius, ab ipso Caloris fonte, abit, licet per Canales quoque derivetur, & ex ipso Fonte seu Scaturigine protrusæ Aquæ calidæ itendidem succedat calida alia, eò, minus sentitur calida, eandem ob rationem, unde quoque non modò *Turlerus, in Lib. de agro Neapolitano,* refert thermas certi Montis ibi siti, in quarum Specu, quantò longius quis procedebat, tantò fervidior erat ipsa Aqua, cum contra sub introitu Specus, sentiretur, non, nisi Tepor quidam, sed etiam, *fide Gradelebnii, in Chronico suo Hungariæ pag. 389.* in Thermis, extra Suburbium superius, ante urbem, Budam, sitis, quas vocant: *Purgatorium.* Aqua, versus extrema thermarum, sentitur planè tepida ac tolerabilis, contra quò propior fluit ista Aqua, versus Fontem ipsum, eò magis fervens, sensu, percipitur, quin & circa ipsum fontem, intolerabiliter, penitus, fervida est Aqua. Ut & penes, finem Vallis *Tharapey,* *fide Happelii, in Mundo suo mirabili,* prope Potosi in America, in Lacu, circuli instar, rotunda, quæ, ex frigido licet districtu veniens, tamen fervidam habet Aquam versus extrema, ob teporem, aliquis, adhuc, se potest lavare, in ipso verò Medio, ac circa ipsum Centrum, Fervor ejus est intolerabilis, & Aqua viginti pedes, in altum, effervescendô, pro-

filit. Quod ipsum etiam probant, partim illud Phænomenon, quod quivis, tempore frigidò, non, nisi in suis Extremis, etiam si contectis, Manibus scilicet ac Pedibus, vim Frigoris, maximè omnium, sentiat, præ partibus reliquis totius Corporis, partim Petecchiarum aut macularum aliarum, in morbis minùs malignis, paucitas, in regione Cordis, tam anteriori, quam posteriori, à latere, & ubi, in aliis, etiam minùs periculosis morbis, in Cordis regione, aut non, aut pauca apparent Maculae, ob Caloris majoris, materiam macularum valde discutientis & dispergentis, ibi existentiam, contra in Brachiis, Cruribus, & Pedibus, ac versus Extrema, & in ipsis Extremis, utpote Partibus à Corde, caloris fontè, remotioribus, & hinc, respectivè, minùs calidis, aut multae Maculae, aut planè apparent Papulae, ob Calorem hinc debiliorem, minùsque exhalationi, aut transpirationi insensibili, aptum, per quem cum Materia vitiosa non valeat evacuari, cogitur subsistere sub Cuticula & Cute, sub Macularum aut Pustularum forma, *conf. famosus Medicus, D. Crato Consil. Tom. M. Lib. 7.* qui expertus non minùs de hoc testatur: Sicut & hoc Pustulae in manibus ac pedibus correpti, vel media in æstate, Scabie, (etiam si scabiosus, propter majoris maximèque Caloris vitalis ordinariam expellendi vim infringentis, seu debilitantis, Corruptionis in sanguine, absentiam, in reliquis Cordi propioribus corporis regionibus, nullas habeat Pustulas,) toties observabiles. n. ð parù confirmare poterunt. Tum quod sint edaces magis, ac bibaces, minoris Statu, æ Personis quandoquidè vastum, & undique vigorosum Corpus, non potest non ad sui conservationè, multa appetere alimenta, cui probando tam exemplù Maximini Thracis, imperatoris, qui, à 40. ad 60. Libras Carnis, quo vis in prandio comedere poterat, (sicuti & olim Maximiliano I. Spiæ, oblatu Septentrionalis homo, qui quoties sive circa meridiem, sive in coena, cibare se voluit totum coniumere valebat vitulum.) quàm Papæ, Pauli V., & plura alia, inserviunt. Ut & quòd in quibus Calidum cum Humido æquali adest quantitate, ac valore, sint perquam robustæ, unde non solum de Ferracuto Saraceno ii. cubitos longo, à Rolando, tandem, interempto, notum est, quod fuerit robustus, sicut 40. viri æquè, famosa & giganteæ Staturæ Portugallus, *sive E. Francisci, in Speculo Historico Artificiali & Morali*, adeo fuit robustus, ut, utrinque, brachia ejus, ad sudorem usque, retrahere tentantes sex Bajulatores impedire eum non valuerint, quominus iste suas manus, cum pomis inclusis, voraci suo admoveeret, paulatim ori; Contra verò, in quibus vastæ Staturæ Personis Humidum præpotens, Calido, in Proportionè, minùs respondet, observantur esse quæque magis de-

bl-

biles, quàm humilis Staturæ homines, in quibus vis concentrata omnino est fortior, quod quidem non solum probant Animalia quædam minùs proportionati corporis, ut Equi nimis longum dorsum habentes qui sunt debiliores: *Sie seyn schwach im Dücken*: Qualis etiam videtur fuisse famosus ille, A. 1260. in domo Alberti M., Lavingæ, natus, *juxta Crusium, in Annal. Svecic., Lib. III. part. III., p. 151.* Equus, quindecim pedes longus item Caballi, longiora justò habentes genitalia, minùs reperiuntur generationi apti, & albi, ceu, à præpollente Humido dependentis coloris, Equi longissimas habere animadvertuntur jubas & caudas; Sed & longissimus, ille Adolescens, in Nosocomio Mediolanensi, oim à Ludovico Cæsare, post victoriæ suæ, prope Laudem Pompejam, reportationem, visus, adeo imbecillis ac ineptus erat, ut erectus stare non valeret, sed necesse haberet jacere, in duobus Lectis, quorum alter stabat. pone alterum. *fide Fortunati Liceti, de Rerum ortu.* Sicut & satis longus Jacobus Damman, Lüneburgensis simul adeo crassus & ineptus, minùsque agilis fuit. ut manum haberet, quæ communem manum ter æquabat longitudine, ac dimidium longitudinis, lata erat, vixque movere se posset ac surgere. Quò & jamboli ipsius spectat relatio, qui aliquando, in certa Insula, Personas 7. ulnas, longas reperit, quarum Ossa non firma fuerunt & dura, sed, tantum, ut Chordæ Arcuum, flexibilia: Et tales grandes quidem, ast minùs robustæ minùsque agiles Personæ, facilè, a parvo homine, generoso, cum iis luctante præcipitari queunt, humum, unde non tantum A.C. 1403. Bucichaldus, Gallus Genuæ, adhuc Francicæ, Præses, excessivè longus, simulque Italorum contemptor, à provocatore suo, Galeacio, Duce. qui, ob parvitatem suam, quam tamen Natura altioris animi pensaverat impetu: *Er war niedrig vom Leibe/doch hoch vom Geiste*/umbilicum ejus vix vertice attingebat, in certamine singulari victus est, ac morti, à suis, vix subtractus, præ pudore, noluit, *fide Bergom. Lib. 14.,* ampliùs Thoracem ferre, ac Loricam. Porròq; tales Personæ Staturæ longioris, ex Superabundantia Humidi, præ Calido, sunt magis torpentes & somnolentæ. Adjunctum insuper harum non levissimum est illud, quòd aptæ sint generare. Prolem sibi similem, aptis nempe è Contoralibus, uti quondam Sereniss. Marchio, Otto de Brandenburg cognomentò: *Longus* filium Hermannum Longum genuit. Denique tamen Grandis Staturæ Personæ hòc gravatæ sunt Adjunctò, quòd faciliùs, queant attingi tormentis, vel telis, aliis. Hinc jam, seculo Christi XIII., Equites ordinis Teutonici, ex obsessa civitate, Culm, excurrentes, vulnerarunt Heroem quendã adeo longum, ut, humeros usque, super singulos reliquos obsessores, Borussos, emineret. *referente hoc Petro de Duys-*  
burg

*burg, Origin. Lib. IX. cap. 2.*, Atque Jacobo Hallano, generoso cuidam Flandriæ Equiti, dicto: *Auceps*, qui Bonifacium, grandem Hispanum, etiam, in duello, interemerat, A. 1453. ante munimentum, *Bukern*, vi alicujus hostilis tormenti, pars Capitis oculis proximè super existens, cum ipso cerebro, *fide Spangenbergii in Speculo Nobilitatis. Lib. XI. cap. 31. fol. 220.* abrepta est. E quibus Præmittendis, decenter præmissis nunc demum talis nascitur nobis Definitio: *Statura longa Personarum illustrium est Harum corporis Quantitas insolita, consistens tamen in Extensione proportionata, quoad singulas tres dimensiones, in longum, latum & profundum, orta à Seminis maritalis energia & virtute excellenti, qua Ovula aptitudine extraordinariâ, sive singula, ad molis corporis majorem extensionem & efformationem, requisita habente, prædita fœcundat, faciens eas, in gloriam Dei, admirabiles æstimabiles, desiderabiles, ac respectivè formidabiles, suaque habentes Adjuncta varia.* Quoad, *Divisionem*, verò Statura longa Personarum illustrium est vel masculini, vel fœminini Sexus, ad quem posteriorem, inter alias, præprimis pertinet *Bundwig*, *Contoralis Prasaguti*, *Ingevonum*, regis, in Anglia, *fide Polydori Vergilii, in Historico suo Opere*, ut & *Niva*, regina Bohemiæ, *juxta Bojemum, in sua Republica Bojema*, proceri corporis Persona, unde &, adhuc hodie, quivis Floridæ Princeps summus uxorem ducturus, è multis præsentatis Fœminini Sexus Personis, *juxta Librum E. Francisci, cui Titulus: Ost- und West-Indianischer Lust- und Staate-Garten/ p. 1710.* eligere sibi assolet longissimam, &c. Quales Fœminini Sexus Personas insigniter longas, hic & illic, in Mundo, plures, qualiscunque licet conditionis reperiri probat. partim Mulier quædam è Cilicia, tam altam proportionatam Staturam habere visa, imperante Justinô, Romæ, ut supra quosvis longos Viros, etiam unum emerneret cubitum, *fide Zonare*; Partim à Prætorio quondam, visa Parisiis, Virgo octodecim annorum perquam longa & Zelanda quædam ejusdem Staturæ, ad nuptias Philippi pulchri, regis Galliæ, à Comite *Bono* adducta, ac Virgo ista, quæ, vi Feb. is quartanæ, per plures menses toleratæ, in molem corporis gigantææ similem, utut proportionatam, excrevit, *juxta D. Schenkii Obs. 41. Lib. de Febr. ingenium tamen nacta simplex & stupidum*; Pariterque S. Sabba fuit per longæ, hincque venerandæ, Staturæ Persona de qua reperta, in loco Vivarii Hassiaci, dicto: *Sabbabourg.* & adhuc, ibi, asservata tesiantur ejus Ossa non parva. Atque Soror S. Othmari, primi Sangallensium Abbatis, cujus etiam adhuc aliqua Costa, in templi aditu, in Cœnobio Vineatico, pendet, mirandum longæ fuit Staturæ; Quibus meritò annumerandæ generosa Fœmininæ aliæ, inter quas, ante paucos annos, quandam nobilem Schonbergiam, Ger

Geisnizensem, item Perlepschiam quandam Staturâ longâ meritò admirandas nostra vidit Misnia, de qualibus tamen longis Foeminini sexus Personis, non æquè, hîc, ac de Personis sexus masculini, placuit nobis agere, quoad plura Exempla.

E Personis ergo illustribus Sexus masculini, quas Deo longâ insigniter, exornare placuit Staturâ, præprimis, juxta Vitæ ordinem, fuerunt Nimrodus, Achilles, quem & Priamus admiratus, quantus foret, Hector, cujus etiam jam mortui Staturam & speciem admirabilem Achivorum mirati sunt filii, *fide Homeri, in Iliad. χ. & ω.* Ajaxque, ut & Pallas, ac Turnus, qui, *juxta Virgilium in Aeneid. Lib. 9.* quoque tam longæ erat Staturæ, ut foret totò vertice supra, nec non Æneas ipse atque admirandus Staturâ Enak, cum suis Filiis, Ochus, vastæ Staturæ Rex in Basan, nec non A-ba, Dominus Kiriath, *juxta Lib. Jos. c. 15.* famosique Herculis Persona &, præter Gigantem Ægyptiacum, *1. Paral. Lib. 12.* Goliath, ac reliqui Gigantum filii in Gath, *1. Paral. Lib. 21 v. 41.* Deinde quoque Saul, quem, caput longiorem, totò Populò Israëliticò, ipse Deus elegit, in Israelitarum Regem, ostensurus, eò ipso, Regem aliquem, Dotibus æquè corporis, ac animi, suos debere, antecellere Subditos. Tertiò Xerxes, rex Persarum famigeratissimus, non vulgariter longâ adeo fuit in signis corporis Statura, ut, *fide Herodoti,* magnitudine corporis, vel centum superaret Militum millia. Sicut & Pindarus, Thebanus, Harmonius, Corinthiacus, atq; Skioldus, laudabilis rex Daniæ, *fide Heldvateri, in Historica sua Sylva Maris Balthici, p. m. 61.* adhuc quindecim tantum annos habens, non vulgariter altam nactus est Staturam, quasi jam in eo adesset crescendi finis, qui tamen ordinariè, in Animalibus, prius non adest, quàm tum demum, cum Calor ipsorum naturalis Humidum in artuum extremis, exsiccans, & ita ulteriorem extensionem impediens, ad *ἀκμὴν* suam pervenit: ac Scipio Africanus prælongam habuerunt Staturam, nec Philopœmen ulli, Staturâ ac robore fuit, *referente id, in Arcadicis, Pausania, inferior.*) Tum Julius Cæsar erat quoque Persona admodum longa atque macra, & Augustus ipse Imperator gloriosissimus tam longus erat, ut vel de altiorū Arborū ramis Poma propriis posset deerpere manibus. Porro Maximinus Thrax, Imperator admirandæ fuit Staturæ. Ac Theodoricus, Gothorum Rex, erat Persona, *juxta Sidonium Apollinarem,* non vulgariter longa. Item Staturâ longâ insignes, exindeque formidabiles, fuerunt Hugo, Bataconis, Domini in Districtu: Weilerthal / & Ergow, filius, qui A. C. 770. Coenobium Hugoshofen / ut locum sui Sepulchri, exstruxit: tanta à Deo ornatus fuit Staturâ, unde & Magnus Hugo, vocatus, ut & ipse, diu post, Maximilianus 1, Imperator Ko-



Romanus, ipsius Sceleti Gigantæ fere similem, in monstrato ei aperto Sepulchro, *fide Herzogii, in Chronico Alsatia Lib. 3.* admiraretur Longitudinem, nec non, sub Carolo M. qui & ipse mirandæ Staturæ fuit Persona, Haimon, Sancimon, ac Celebrandus & Ainothus atque Hacho, ob merita, creatus Comes Brisgovia in Hochburg, juxta quem, omnes alacres & grandes milites, postea, dicti: *freye Hachen* Postea Sveciæ rex Ragualdus, cognomentô Cerebrosus, Staturam fere Gigantis alicujus habuit, *secundum Beerium, in Biographia Regum Sueciae, pag. m. 131.* Ut & Jo. Villanus, Flandrus, Wolffius de Molsdorff, ac Philippus de Rechberg, dictus: *Longus.* è relatione *Spangenbergii, in Speculo Nobilitatis, Lib. XI.* Personæ fuerunt longæ notabiliter, similiterque Johannes I., rex Angliæ, perquam longa insignis fuit Statura. Atque rex Portugallia, Alphonfus III., tam grandis fuit Persona, ut, vel post multos annos, Successor, in regno, Sebastianus, ejus Cadaver, in Sepulchro, quod sibi aperiri fecerat, admiraretur, *secundum Biographiam Regum Portugallia.* Item Wolfgangus de Stain, vocatus: *Longus,* tantæ fuit Staturæ Persona, ut, cum, *fide Crusii, in Annal. Svecicis, A. 1585.* ejus Ossa effoderentur, solum Crus ipsius reperiretur longum quatuor, Spithamas, è qua parte conjici potest totius Mole istius Corporis. Uti & Wolfgangus de Grünenstein insigni Staturæ Longitudine claruit. Quin &, in Sereniss. Stemmata Electorum, & Marchionum Brandenburgensium, Staturâ longâ fuit celebris Otto: *Longus,* Tutor Wenceslai junioris, tandem regis Bohemiæ, item filius ejus Hermannus: *Longus,* Quin & Philippus V., Gallia Rex, adeo proceræ fuit Staturæ ut exinde quoque: *Longus,* cognominaretur. Nec minùs, quoad admirandam Staturam, Anglorum rex, Eduardus I. excelluit: Famosusque Tartarorum Dux, Tamerlanes, longæ fuit Staturæ Persona. Insuper Rudolphus VIII. Marchio Badensis, 12. pedes longus fuit. ideo quoque: *Magnus.* appellatus, æquè, ac Dux Pomeraniæ, Bogislaus X., qui ob longam suam Staturam dictus: *Magnus,* tam corpore, quàm animô, magnus fuit, *juxta laudatum Lobmeierum in Princip. Europ. Tabul. Genealog.* Atque Johannes, Elector Brandenburgicus gloriosissimus, ob Personæ suæ mirandam Longitudinem *juxta Lib. jam citat. Tabul. 33. & 31. Magnus.* appellatus. (Quibus accedit Guntherus, Comes de Schwarzburg, qui olim Adolphum de Nassau, in Imperio Romano, antecessit quatenus extra ordinem longa fuit Persona.) Ad dique meretur præcipè Paulus II. Papa, Venetus, qui tanta fuit corporis Staturâ, ut, in Templis, emineret, super singulos, è Populo, *fide Trösteri, in Svetorio suo Pontificum, pag. 231.* Imò Albertus I, Imperator, qui jam in decimo quinto ætatis suæ anno, quem-

vis alium Staturâ superabat corporis, Fridericus IV. Imperator & Ladislaus Posthumus, Rex Ungariæ & Bohemiæ, &c. Longitudine fuerunt, *juxta Speculum Honoris, Sereniss. Domus Archiducal. Austriac. pag. 640. & 1078.* Personæ admirabiles. Pariter ac Albertus Animosus, Dux Saxoniae, (cujus liberationem, è Plagiâ sui Conradi Kauffungi, manibus die 8. Julii, A. C. 1455, in monte nemoroso, pone vicum: Eiterlein. Cœnobiumque: Grünhain/ non procul à Wisenthalio & sic. ultra dimidium Milliaris, à finibus Bohemiæ, non distito, cui & exinde, sicut sat aptè, ita satis propriè, datum est nomen: *Der Fürstenberg/* similiter, ac Sella Saxeæ Principum in Carinthia, renunciationi solenni, inserviens, à per antiquis temporibus, usq; ad nostra, vocatur: *der Fürstenstein.* duraturò Germanæ Fidei & probandi Obsequii documentò, à Deo, promovit beatus meus Tritavus, Carbonarius, Jacob Dirübel/ è parte Patris: Schmidt. postea verò: Triller. agnomen qui nactus est.) Longitudine, ac Robore, corporis extraordinariâ, verenda erat Persona. B. E. Rauberus quoque famosus & stupendò suo robore, & Barba duplici se, à mento usque ad pedes, utrinque, extendente. longâ corporis Staturâ insignis fuit, *secundum B. Valvasorem, in suo Honore Ducatus Carniole.* Item Erasmus, Comes de Burgstall, Gubernator Cæsareus, Ungvariensis, in Carniola. altâ Staturâ præcallebat singulis milibus Turmarum auxiliarium, ipsi, contra regem rebellem, Johannem, missarum, eò usque, ut, *è relat. ejusdem illustr. Autoris, Libr. citat. Part. III. Lib. XI.,* perquam altus Hircus; absque illusione suorum Cornuum. inter Crura ipsius, valeret percurrere, uti & Hieronymus Fuggerus, è Majoribus Comitum hodiernorum hujus Nominis, perlongus hincque venerabilis fuit. Pariterque Ludovicum XIV., regem Galliarum, qui ob ista, quæ laudabilia egit, in suo regimine, nominari meretur Magnus, exornavit divinum Numen, admirandam, longâ Staturâ. *juxta Vizthumius, sub Jo. Georgio, I. El. Saxon. Legionis equestris Præfectus. fide M. Schmidt, in Chronico Cygneensi,* ob Longitudinem corporis insignem, vocabatur: *Longus.* Atque illustrissimus Ruthenus Comes Henricus, Generalis Tormentorum & Mortariorum bellicorum Munitioisque Magister, in Exercitu Electorali Saxonico, qui, in Christianorum glorioso, cum Turcis, sub ductu Principis Eugenii de Sabaudia, Prælio, fortissimè pugnans, lethaliter tantem vulneratus est, ut, ob admirandum longam suam Staturam, distingueretur à reliquis Illustriss. Comitibus Ruthenis, vocabatur communiter: *Der lange Groß-Neuß.* Cui quoque, insigni Corporis Longitudine, similes sunt, ad huc hodie, tam nobilis Vizthumius ille. Locum tenens Capitanei, inter Excubito-

res Aulae Electoralis Saxonicae, cum quasi proprium videatur illustri huic  
Familiae producere Personas Longitudine Corporis venerabiles, quam per-  
multae, hic & illic, in Europa, Personae generosae aliae.

Quae ipsa, quanta, quanta etiam, Exempla Lectori impraesentiarum, suffi-  
cere poterunt benevolo, ad probandum, Deo generosas ac illustres haecenus  
veneranda Staturam, praeter aliis Hominibus, saepius placuisse exornare Personas,  
cui proinde quoque aeterna sit Gloria!

#### COROLLAR.

**A**Ves, quotannis, menses frigidiores, extra Europam, vivere  
solitae, revera, praeter Aegyptum atque Aethiopiam, & alias cali-  
diores terras petunt. hocque probari potest ex eo, quod, *fide Levi-*  
*ni Hulsi, in prima Hollandorum Navigatione in Indiam Orientalem.*  
*cap. 12. sub fin. pag. 52.* ipsi Batavi, A. 1615, die 25. Januarii, atque ita verè hy-  
emali tempore, prope urbem *Ballambran*, in Insula *Java*, ingentem Ciconi-  
arum repererunt multitudinem.

#### ADDENDA

##### Diff. de usu Proportionis.

Pag. 3. Lin. 13. Voci pedes add. Sic in Camelopardali, teste *P. Gillio in Itin.*  
Crura anteriora longè sunt altiora posterioribus. & in Leporibus, Crura an-  
teriora Deus Creator crescere facit breviora posterioribus cruribus.

Pag. 5. loc. voc. ad. leg. ab.

Pag. 7. ad lin. 12. Hinc etiam templum S. Catharinae Cygneense talem ha-  
bet Proportionem, ut longum sit Pedes, 70. latum verò Pedes 35.

Ibid. p. g. 7. lin. 2. voc. Blondeli, add. Borizii,

Pag. 8. lin. 32. desit. vox. ab. & lin. 33. l. Galilaei. P. ead. l. 30. absit vox: *vive.*

Pag. 12. sub fin. lin. 25. add. Usus quoque t. l. is Proportionis est in materia  
*L. Rhod. de factu*, & casibus Juris pluribus aliis.

Pag. 14. lin. 19. leg. undique.

Pag. 16. lin. 7. leg. reddant.

Pag. 16. lin. 22. voci *etiam* add. mediante Circinò proportionali potest.

#### ADDENDA

##### Diff. de Statura longa Personarum illustrium.

Pag. 5. lin. 29. leg. *aquè*, ac Pag. 7. lin. 1. voci: *generoso.* add. & perlongo.

Pertinentia

ad

# TRACTATUM

meum,

## De Signis imminentis Mutationis Tempestatis

Ex Sicca in Humidam.

Anno 1699. jam editum.

Pag. 4. leg. tüchtig geschliffenen.

P. 6. lin. 29. leg. Darumb ob. locô: Dennob.

Ibid. lin. 32. leg. Mißgunst &c.

P. 8. lin. 25. voci. fühlen / add: oder auch von Ohnmachten / vielem Niesen / Erbrechen / Durchfall / &c. alsdenn / überfallen werden.

P. 8. lin. 23. voci würde add: welches auch dieses genungsam confirmiret und beweiset / daß so manche Personen klagen: Es schlage Ihnen / wenn sich das Wetter ändere / so in die Glieder / daß sie ihnen zu schwehrt / und sie darüber ganz müde und matt / würden / item sie kriegten kurzen Odem / nemlich vom aufgehörenden Aequilibrio, zwischen der Luft / in ihrer Lunge und Geblüte / und der äußerlichen sie umgebenden Luft selber / &c.

Pag. XI. lin. 4. post voc. müssen add: welches denn auch die / zu der Zeit / häufig von ihnen gehende Winde so wohl / als die zugleich von ihnen / in grosser Menge / vor ängstlicher Empfindung / wegen / in ihrem Gedärme / sich / gewaltsamlich / ausdehnen / der innerlichen Luft / kriechende Darmwürmer klar beweisen.

Ibid. lin. 25. voci: alsdenn add. mit hefftigem Pfeiffen oder Bellen.

Pag. 12. lin. 11. voci. will. add. welches denn auch die Wasser-Uncken und Feuerkröten / hier zu Lande / durch ihr Geschrey / anzuzeigen pflegen.

Pag. 12. lin. 26. locô vocis. glatten leg. fetten.

Pag. 13. lin. 25. voci: Meeres / add. welches / schon vorlängst / der Tragœdien-Schreiber Seneca mit diesen Worten / im Actu V. Thyestis :

*Instat Nautis fera Tempestas,*

*Cum sine vento, Tranquilla tument.*

garschön beschrieben hat.

Pag. 14. lin. 17. leg. fast eben.

Pag.

Pag. 14. lin. 31. voci: Küchen/ add. wie auch der brandichte Geruch/ aus denen Schmiede-Essen.

Pag. 15. lin. 8. locô vocis: ganz add. mit.

Ibid. lin. 9. voci: herkommt. add. Wie denn auch/ wenn/ im Winter/ die Erde/ unter dem Schnee/ nicht trocken/ sondern naß/ angetroffen wird/ es/ aus eben der Ursache/ eine Anzeigung giebt/ daß bald Thau-Wetter kommen werde.

Ibid. lin. 17. locô vocis: Saft. leg. Schweiß.

Ibid. lin. 25. leg. im Meißnischen Ober-Erz-Gebürge.

Pag. 16. lin. 20. voci: hin. adde: deßgleichen ein gewisser Vogel/ in der Chinesischen Provinz Huquang, bey der Stadt Xinchou, kommt nur alleine/ alsdenn/ zum Vorschein/ wenn Regen-Wetter heran nahet/ da hingegen/ auffer solcher Zeit/ er sich weder sehen/ noch/ besage *Hn. Happestii. in Mundo suo mirabili*, hören lässet/ und der Indianische Vogel/ Cenozqui, Latinis: Evocatrix Nivis, Germanis: Schneey-Vogel/ genandt/ pflegt nur zu schreyen/ wenn Schnee-Wetter heran nahet/ und läßt sich/ hingegen/ auffer der Zeit/ durch kein Geschrey/ hören/ nach Bericht des *Nierembergii. in Histor. Natural. lib. X. cap. 74.*

Pag. 20. lin. 19. adde, ab initio: mercken lässet.

Ibid. lin. 21. locô voc. von untenherauff. leg. im Wasser/ aufwärts.

Pag. 24. lin. 5. voci: die add. Hornissen.

\* In *Diss. de usu Proportionis. pag. 16. lin. 10. leg. longissimè.*

\*\* Ibid. pag. 14. lin. 14. pro voc. *unciam*. leg. Libram ibiq; voci: *dua*, add. & in *Confect. Panis Martii, ad Amygd. d. Part. j., Sacchari part. ij.,*

\*\*\* In *Dissert. de Statura longa Person. illustr. pag. 3. lin. 14. leg. pag. 154. & pag. 197.*



Pag. 14. lin. 31. voci: ...  
 Pag. 17. lin. 8. loci voci: ...  
 Ibid. lin. 9. voci: ...  
 Ibid. lin. 17. loci voci: ...  
 Ibid. lin. 27. loci voci: ...  
 Pag. 16. lin. 20. voci: ...  
 Ibid. lin. 27. loci voci: ...  
 Pag. 20. lin. 9. voci: ...  
 Ibid. lin. 21. loci voci: ...  
 Pag. 24. lin. 7. voci: ...  
 Ibid. de ...  
 Ibid. pag. 21. lin. 14. voci: ...  
 In ... de ...  
 In ... de ...

